Quelle: https://manuscripta.at/?ID=851
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



I B

et non erat bonum tempus medele et ecce formido. Adam audite et stremite equorum eius audite hinnitum pugnatorum eius omnis terra. Venerunt et devorauerunt terram et plenitudinem eius urbem et habitatores eius. Quia ecce ego mittam vobis serpentes pessimos quibus non est incantatio et mordebit vos ait dominus. Dolor meus super dolorem impositus est mihi merens. Ecce vox clamoris filie populi mei de terra longinqua. Numquid non dominus est in syon aut rex eius non est in ea. Ecce quare me ad iracundiam concitauerunt in sculptilibus suis et in uanitatibus alienis. Transiit estas finita est messis et nos saluati non sumus. Super contritione filie populi mei contristatus sum et contristatus sum et stupor obtinuit me. Numquid resina non est in galaad aut medicus non est ibi. Quare igitur non est obducta cicatrix filie populi mei.

IX

Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum et plorabo die ac nocte interfectos filie populi mei. Quis det me in solitudinem diuersorum et delinquam populum meum et recedam abeis. Quia omnes adulteri sunt cetus prouaricatorum et exercitus infidorum linguam suam quasi arcum intendunt mendacium et non ueritatis. Confortati sunt in terra quia de malo ad malum egressi sunt et me non cognouerunt dicit dominus. Unusquisque se a proximo suo custodiat et in omni fratre suo non habeat fiduciam quia omnis frater supplantans supplantabit et omnis amicus fraudulenter incedet et uir fratrem suum deridebit et ueritatem non loquentur. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium iniquitatem agere laborauerunt. Habitatio tua in medio doli in dolo renuerunt me scire dicit dominus. Propterea hec dicit dominus exercituum. Ecce ego conflabo et probabo eos. Quid enim aliud faciam a facie filie populi mei. Sagitta uulnerans lingua eorum dolum locuta est. In ore suo pacem cum amico suo loquitur et occulte ponit ei insidias. Numquid super his non ulciscetur dicit dominus. Aut in gente hiusmodi non uindicabitur anima mea. Super montes assumam fletum ac lamentum et speciosa deserti planctum quia incensa sunt eo quod non sit uir pertransiens et non audiant uocem possidentis. A uolucribus celi usque ad pecora fugiuntur et recesserunt. Dabo ut in aceruos arene et cubilia draconum et ciuitates iuda dabo in desolationem eo quod non sit habitator. Quis est uir sapiens qui intelligat hoc et ad quem locutus est os domini et annuntiet istud. Ecce perierunt terra exusta est quasi deserta eo quod non sit qui pertranseat. Et dixit dominus. Ea de eo quod reliquerint legem meam quam dedi eis et non audierint uocem meam et non ambulauerint in ea abierint post pauitatem cordis sui et post baalim quos didicerunt patribus suis. Ideo hec dicit dominus exercituum deus israel. Ecce ego cibabo populum istum absynthio et potum dabo eis aquam fellis. Et dispergam eos inter gentes quas nouerunt ipsi et patres eorum et mittam post eos gladium donec consumam eos. Hec dicit dominus exercituum. Considerate et uocate lamentatrices et ueniant adeas quas sapientes sunt mittite et properent festinet et assumant sibi uos lamentum. Deducat oculi nostri lacrimas et palpebre nostre defluant aquis quia uox lamentationis audita est de syon quomodo uastati sumus et confusi uehementer quia dereliquimus terram quoniam deiecta sunt tabernacula nostra. Audite igitur mulieres uerbum domini et assumat aures uestre sermonem oris eius et docete filias uestras lamentum et unaquaque proximam suam planctum quia ascendit mors per fenestras uestras ingressa est domos uestras disperdere paruulos de foris iuuenes de plateis. Loquere. Hec dicit dominus. Et cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis et quasi fenum post tergum metentis et non est qui colligat. Hec dicit dominus. Non glorietur sapiens in sapientia sua et non glorietur fortis in fortitudine sua et non glorietur diues in diuitiis suis. Sed hoc glorietur qui gloriatur scire et nosse me quia ego sum dominus faciens misericordiam et iudicium et iustitiam in terra. Hec enim placent mihi ait dominus. Ecce dies uenient dicit dominus et uisitabo super omnem circumcisum in incircumcisum super egyptum et super iudam et super edom et super filios ammon et super moab et super omnes qui attonsi sunt in comam habitantes in